



Freiherr v. Ende-Mitjesnitz.

M.
d.
H.
J.
A.
A.
J.
d.
o.
d.
A.
A.
A.
A.
A.
A.



18.

9

Q. D. B. V.
De

EO, QUOD ABOMI-
NABILE DEO EST,

ceu caractere

LEGIS MORALIS

In

ALMA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

JOH. FRANCISCO BUDDEO,
Philos. Moral. P. P.

A. D. XXVIII. Febr. A. MDC XCIV.

disputabit publice

MARTINUS Schulz /
Stendaliâ-Palæo March.

HALÆ, Literis SALFELDII, Regiminis Elect. Brandenb. Typ.



VIRO

*Plurimum Reverendo, Amplissimo
atque Doctissimo*

DN. LUCÆ HEINRI-
CO THERINGIO,

Ecclesiæ Petrinæ, quæ Colonia ad
Svevum est Archi-Diacono ut meritis-
simo, ita vigilantissimo,

*Domino Patrono, Fautori, Affini atq;
Parenti post Deum Honoratissimo,*

Hoc, quicquid est primitiarum
Academicarum, in gratæ mentis tesseram
pro innumeris à pueritia sibi exhibitis benefi-
ciis, & ulteriorem favorem conciliandum

Sacrum esse cupit

MARTINUS SCHULZ. Resp.



Ternæ quicquid vetuere vo-
lumina Legis
Ut detestandum damnat
ubiq; DEUS.

Hoc Legum eximium nobis Insigne
sacrarum;

Sed simul Ingenii nobilioris erit.
Perge DEI gnavo scrutari pectore Le-
ges,

Conatus semper provehet ille tuos.

Doctis. DN. RESPONDENTI
ita gratulatur

SAMUEL STRYKIUS, D.

Acad. Hall. DIRECTOR.

*Um cathedram scandis, Schulzi doctissime,
mentem*

*Egregiè doctam pagina docta probat.
Profers thesauros dederat quos Lipsia quondam,
Et queis addit opes largiter Hala suas.
Gratulor ex animò, si perges, digna labore
Præmia (quod voveo) patria chara dabit;*

benevolentiam testaturus scrib.


D. JOHANNES CHRISTIANUS OLEARIUS,
Consistorialis, Pastor Prim. & Inspector.

Cum tractes, SCHULZI, quæ detestatur
Jova

Digna facis studiis, digna timente DEUM.
Gratulor. Et fructus, & honos mox iste sequen-
tur,


Quem meruit dudum cura laborq; tuus.

f.
T. M. MICULCI



Quæ justæ sit norma cupis, quæ regula recti
Quis legum sensus? Iudicis ora docent.
Quæ sint Morali permixta negataq; Lege
SCHULZIUS hæc charta non sine laude docet
Lipsia Te celebrat, laudes deprædicat Hala
Et laudum præsens pagina testis erit
Ipsaq; decernit jam patria digna brabea,
Tu sacra in æde Dei jura docebis, ait.


G. Kraul.



Quod precer, ulterius nihil est; hoc adprecor
unum;
Det DEUS ætatem, cætera cuncta dedit.

Eximio Dno. Respondenti, affini & amico
fide Pyladæa dignissimo scribebat
in sui memoriam

G. F. W.





Q. D. B. V.

§. I.

H Abuerunt Hebræi præ ceteris orbis gentibus hoc præcipuum, ut non tantum moralibus, (a) ut vocantur legibus, quid jus fasque & nefas esset edocerentur; sed ipsius DEI sanctionibus, & Respublica illorum stabiliretur, ab eodem quoque sacrorum ritus ac ceremoniæ illis præscriberentur. Quæ ergo illis observabantur æterni Numinis scita, literis mandavit publicavitque Moses. Neque enim Rempubli- cam illorum saltem formavit legibus, sed & divini Spiritus afflatu percussus, ea subinde inculcavit, quorum ad omnes homines latè vis pertinet. Idem sæpius conjunxit & moralibus præceptis mox addidit ea Numinis jussa, quæ in Hebræorum saltem gratiam, publicis tabulis

A mo-

numentisque consecrabantur. Ea verò nunc ritè discernere ac dijudicare omnium maximè refert. Forentes quidem Hebræorum Leges, ritusque sacrorum, ad alias non spectant gentes: hodie insuper vi omni ac usu destituuntur. Quæ verò Morales vocantur, adeò nemini aut ignorandæ sunt aut negligendæ, ut hisce potius Magistris & sua ritè agnoscere quisque vitia, eademque detestari, ad harum quoque normam suos exigere & pro viribus emendare mores debeat.

(a) Vocabulo *legis moralis*, tum leges naturæ, tum etiam positivas universales complector. Vid. Danhauerus *Hodesoph.* fol. 464. seqq. alibi que, Scherzerus *ad Hülfemanni Breviar.* Cap. VIII. Th. 16. p. 475. Excellentiss. Dn. Thomafius, in *Jurisprud.* Divinâ lib. I. c. II.

§. II. Discrimen harum legum haud difficulter deprehenditur. Quam enim Legem non uni genti, sed humano generi à DEO datam agnoscimus, quis non ad morales referret? Quandoque tamen contingit, ut ambitus legis deliteat, nec de limitibus ejus, sint ne ad omnes gentes, an verò ad solos Hebræos extendendi, certi quid pronunciarì liceat. Tum verò jure quidem de κριτηρίοις ac characteribus sollicitus est veritatis indagator, qui rem omnem palam faciant.

ciant. Maximè vero rerum atq; verborum nexum, sermonis indolem, & quicquid ad mentem divini Legislatoris perscrutandam facit, id omne in subsidium vocat. Flexus certè sibi disponunt irremeabiles, qui filum ejusmodi Ariadnæum fastidientes, incerto gradu huc illuc feruntur, & præcipiti non rarò casu ruunt.

§, III. Hebræorum Doctoribus (b) ipsæ Legum notiones argumentum præbent. Namque Leges Morales משפטים & מצוות *Judicia, jura, præcepta, seu mores universo humano generi præscriptos*: ceteras quæ à Numine singulariter ipsis imperatæ sunt, חוקים *ritus*, non tantùm ipsi nuncupant, sed & à Mose ceterisque Scriptoribus sacris, hisce discerni nominibus, contendunt. Sed & ex cœlestis veritatis assertoribus nonnulli in hoc vocum discrimine, causæ suæ præsidium collocarunt. Ast perperam. Hebræos quod attinet, illi sibi non constant. Etenim quæ antiquioribus משפטים vocantur, aliis in Pesiktah Sotartah vocantur חוקים. In divinis autem litteris hoc non observari discrimen, inde palam est, quia Deut. VI. 2. & Pl. CXIX. 8. voce חוקים morales quoque designantur leges. Accedit, quod singulæ leges hisce minimè insi-

gniantur notionibus. Ubi ergo non adduntur istæ voces, non profectò iisdem possunt discerni leges.

(b) Vid. Moses Maimonides in *Moreh Nebochim. part. III. c. 28.* In Gemarâ ad Tractat. Joma. Cap. VI. fol. 67. divini Numinis effatum: *Judicia seu jura mea משפטי facietis, atq; statuta mea חוקותי custodietis, ut in eis ambulætis: Ego Dominus Deus vester,* ita interpretantur Hebræi Doctores: תנו רבנן ארץ משפטי תעשו דברים שאלמלא Traditio est Rabbinica, illud, *jura mea facietis, intelligendum de rebus ejusmodi, quæ tamen scriptis nondum mandarentur, mandari tamen per se debuerant.* Enumeratis deinceps Noachidarum præceptis, addunt: את חוקותי תשמרו דברים שהשטן משיב עליהם ואומות העולם משיבים עליהם Illud vero: *Statuta mea custodietis, intelligendum de rebus, quas non solum mens humana protervior, verum etiam gentes mundi impugnant.*

§. IV. De aliis itaque Criteriis ut solliciti simus, necessitas jubet. Et deprehendo sanè, ut cetera nunc taceam, nonnullos in eam ingressos fuisse sententiam, moralem à Mose sanciri legem, quoties de transgressoribus ejus additur, quod sint abominationi Domino. Quod ita capiunt intelliguntq; ut non semper quidem moralibus præceptis hanc formulam addi asserant: ast ubi additur, hanc ejus vim esse, contendant. Neq; profectò videtur nullius momenti esse quoties hisce verbis lex quasi obsignatur. Ast ne te-
me-

merè & sine ratione hisce inniti videamur funda-
mentis, rem omnem ex primâ arcessere origine,
& discutere accuratius, sine præjudicatis tamen
opinionibus, litare veritati juvabit.

§. V. Quod Latini *Abominationem* vo-
cant, Hebræis non unâ eâdemque ratione di-
citur. Namque & תועבה & שקץ five שקץ & פגור
illis *abominationem* five *rem abominabilem* de-
notat. Sed de voce פגור non est quod simus
solliciti. In nostro enim argumento nullus pla-
nè hujus vocis usus est, & si genuinam ejus in-
dolem spectes, rem foetidam, vel carnis putrefa-
ctæ foetorem denotat. (c) Sumpserunt quoq;
hoc sibi nonnulli interpretes, ut rem foetidam
quamcûmq; abominandam dicerent; quemad-
modum vocem והבאש, Sam. XXVII. 12. quidam
exponunt. Sed de hisce omnibus disquirere, o-
mnesque excutere minutias à nostro instituto
alienum est. Quare in voce תועבה, quæ præci-
puè à Mose huic negotio accommodatur, o-
mnis labor occupabitur; de hac autem quicquid
dictum fuerit, de altera voce שקץ, intelligi debet.
Promiscuè enim sæpius usurpantur & signifi-
candi ratione ac modo prorsus inter se conve-
niunt.

(c) Ita disertè R. Salomoh ben Melech in Michlal Jophi
ad El. LXV. 4. הוא הבשר שנשתנה ריחו ומלחו
caro cujus odor & aspectus mutatus est.

§. VI. Ceterum Interpretum sacrorum
scitum est, in sermone, divinum Spiritum, ad
mortalium indolem haud rarò se componere,
deque sanctissimo Numine ita verba facere, ut,
quæ hominum propria sunt, quandoq; de eo-
dem efferat. Ex horum numero quin *abomi-
natio* sit, non est quod ambigam. Ergo, ut or-
dine progrediamur, quid, si hominibus tribuatur,
designet abominatio, est edisserendum.

§ VII. Iple Moses averſationem Ægyptio-
rum erga Hebræos indicaturus, *quia*, inquit, *ab-
ominatio* תועבה *Ægyptiorum est omnis pastor pe-
coris.* (d) Acerbissimum & inexpiabile innui
odium, origo & causa ejus docet. Pastores, (e)
homines Scytharum more viventes, invaserant
Ægyptum, urbes æqvaverant solo, templa in-
cenderant: Ægyptiis præter cladem & servitu-
tem nihil erat reliqui. Per quingentos annos re-
rum summam in Ægypto tenuerant, cum
Misphragmuthosis Rex Ægypti debellatos pro-
fligaret, ejiceretq; Qui ergo non summopere exe-
crarentur Pastores qui opibus fortunisque omni-
bus

bus, quin ipsâ, quâ nihil charius est, libertate, per
 quinque eos spoliaverant secula? Hinc igitur o-
 mne genus pastorum Ægyptiis *abominatio*, (f)
 h. e. valdè abominabile visum. Radices quippe
 in posterorum animis agit odium à Parentibus
 conceptum. Idque vires ac incrementa non
 raro sumit, ut nescio cui naturali averfationi ac
 indoli, gentium diffensiones perperam tribuan-
 tur. Id quod Gallorum Hispanorumq; exem-
 plo docet Mazarinus Cardinalis apud Galea-
 tium Gvaldum. (g) Et istud quoque Ægyptiis
 contigit. Quod vero Petrus Cunæus (h) de odii
 hujus causâ tradit, longius arcessivit ipse, Ægy-
 ptiisq; male accenset hosce Pastores, qui infen-
 sissimi potius erant illorum hostes.

(d) Genes. XLVI. 34. (e) Africanus hosce Pastores Phœ-
 nices fuisse autumat, vid. Syncellus p. 61. Nomina illo-
 rum ceu Phœnicia interpretatur Samuel Bochartus *Geo-*
graph. S. lib. I. c. IV. Ego verò Arabiam illos incoluisse
 censeo. vid. Joh. Marshamus in *Can. Chron. Sec. VIII.*
p. 104. Vehementer ergo decipitur Flavius Josephus;
 per Pastores apud Ægyptios Scriptores Jacobi designa-
 ri progeniem autumans. Sed ipse, quem laudat, Mane-
 thos eum rectiora docere potuisset *lib. II. Ægyptiac.* vid.
 Josephus *c. Appionem lib. I. p. 1039.* (f) vid. Glassius *Gram-*
mat. S. lib. III. Tract. I. Can. VII. p. 26. (g) in *Histor. Pacific.*
Pyren. p. 90. (h) *lib. I. de Republ. Hebr. c. V.*

§. VIII.

§. VIII. Non minori odio, nec aliâ profectò de causâ deinceps Hebræi profecuti sunt Ægyptios. Tristis labor & funesta servitutis species, quoties illorum mentibus obversabatur, non poterant non plane execrabiles illis videri Ægyptii. Id tamen ne fieret, ipse Moses præcepto singulari cavit: (i) *Ne abomineris* אֲבִינִי אֶמְצִיחַ *Ægyptios*. Idemq; ne Edomitis contingeret, hâc ipsâ lege sancivit. Utrobiq; enim crebræ contentiones, parentumque dissidia animos ita exacerbaverant, ut cum vitali aurâ simul odium conciperent, nec prius, quam animam, dimitterent. Et tale quidem odium, quod integras gentes in mutuam perniciem armat, *abominatio*, Mofi dicitur.

(i) *Deut. XXIII. 7.*

§. IX. Ast longe alia causa subest, cum Moses discessum cum gente Israeliticâ parans, vanisq; Pharaonis elusionibus occurrens: *Ecce, inquit, sacrificabimus abominationem Ægyptiorum*. Ægyptiis quippe oves arietesque mactare nefas fuit, teste Mose Maimonide. (k) In Hebræorum verò sacrificiis, non sane ultimum occupabant locum. Idque ideò fieri sanctissimum Numen voluit, ut Ægyptiorum superstitio-

tionem eo promptius dedisceret (1) Jacobi progenies, gens integerrimis moribus imbuenda. Hebræorum ergo sacra, præsertim sacrificia, non poterant non abominationi esse Ægyptiis. Vim autem superstitionis planè ignorat qui non summum odii & aversionis gradum, de Ægyptiis dum hæc asseruntur, animo conceperit.

(k) Maimonides in *Moreh Nebachim* part. III. c. 46. (l) Sic enim inquit Maimonides l. c. curantur opiniones prave per extremum illorum contrarium. Accedit Cornelius Tacitus de Judæis verba faciens; Casus aries velut in contumeliam Hammonis: Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt. *Historiar. lib. V. circa init.* Sic & Osarsiphum, h. e. Mo- sen, multa Ægyptiorum consuetudinibus contraria sancivisse, Manetho docet apud Fl. Josephum contra Ap- pionem p. 1053. add. Theodoretus *lib. VII. Græcar. Affect. p. 584.*

§. X. Si per omnia Scripturæ documen- ta ire vellem, idem sæpius nobis non sine tædio, dicendum esset. De morbo Jobi non discepta- bo. Agant hoc quorum magnopere refert ab- dita rimari. Certè talem fuisse facile mihi per- suadeo, ut cum Cicerone nō tantum nasorum, sed & sensuum omnium pestem eundem vocare au- deam. Quid ergo mirum si nauseabundi à Jo- bo profugerint, etiam amicorum optimi. Ast horum tædium sistit voce אַחֲרַיִם facer Spiritus. c.

XIX. 19. & XXX. 10. Nec in ceteris locis in mi-
tiores sensum hanc vocem exponere licet, in
quibus de hominibus usurpatur conf. Psalm.
LXXXVIII. 9. CVII. 19. Jobi IX. 31. I. Paralipp.
XXI. 6. Prouerb. XIII. 19. XXXIX. 27. XXVI. 25.
VIII. 7.

§. XI. Hæc autem quæ mortalibus tri-
buitur abominatio, quin sæpius vitii quid se-
cum trahat, aut labe quædam sit conspersa, mi-
nime dubitandum est. Hoc omne igitur sedu-
lò si removeas, tum demum intelliges, quid
DEI sit abominatio, quæ peccata & vitia homi-
num execratur. Neq; enim aliud quippiam illi
execrabile esse, per ineffabilem Numinis sancti-
tatem & consummatam perfectionem nemo
dubitaverit. Ast vero ut in homine, cum cete-
ris animi commotionibus, ipsum quoque odium
ac averfatio augetur interdum & incrementa
sumit; quandoque decrefcit & imminuitur, di-
versosque adeo gradus admittit: ita sanè huic
mortalium indoli, de Numine loquendo, pror-
sus se attemperat divinus Spiritus. Omnia
quidem peccata vehementissimo se prosequi o-
dio, ipse significat DEUS ac profitetur: nihilo
secius tamen, quædam non tantum odio sed in-
su-

super abominationi sibi esse, disertè pronuntiat.
Idque profectò non alia de causa, quam ut nos
edoceat ipse, turpia quidem esse cuncta vitia,
quadam tamen turpiora aliis.

§. XII. Enimvero Stoicorum neutiquam
probare placita possum, asserentium: (m) ἴσα τὰ
ἀμαρτήματα εἶναι. Rectè Horatius: (n)

*Quæis paria esse ferè placuit peccata, labo-
rant,*

*Quum ventum ad verum est: sensus mo-
resq; repugnant,*

*Atque ipsa utilitas, justi propè mater &
æquæ.*

Mox addit:

*Nec vincet ratio hoc tantundem ut peccet
idemque,*

*Qui teneras caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divum sacra legerit.*

Quin antiqui Ecclesiæ Doctores, hanc senten-
tiam in quibusdam coelestis veritatis depravato-
ribus & condemnarunt, & confecerunt argu-
mentis. Augustinus sententiam ferat: (o) Il-
lud de inseparabilitate virtutum omnibus Phi-
losophis placuit: hoc autem de parilitate pec-
ca.

eatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani. Quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententiâ Stoicus erat, in aucupandis autem & defendendis voluptatibus Epicureus, de Scripturis sacris dilucidissime convicisti. Inter errores Novationorum eandem quoque refert Ambrosius: & Justus Lipsius (p) ipse, acerrimus ceteroquin Stoicæ disciplinæ vindex, eandem damnat atroque notat lapillo.

(m) ap. Diogenem Laërtium lib. X. de Vitis Philosophor. add. Ciceronis Oratio pro Murena. (n) lib. I. Sat. III. (o) lib. II. de Sent. J. Apost. cap. III. (p) vid. Lipsius lib. III. Manuduct. ad Philos. Stoic. Dissertat. XXI.

§. XIII. Non tantum vero crimen unum turpius dicitur altero, prout actio aliqua circa nobilius aut ignobilius objectum veritur: quo pacto & bonarum actionum una longe præstantior erit alterâ, sed & formaliter ac in se spectatum peccatum, aut minus aut majus est, prout aut majorem aut minorem distantiam à lege habere concipitur: quemadmodum una curvitas à rectitudine magis recedit quam altera: judice quoq; Illustri Domino Samuele Pufendorffio. (q) Addo & istud, quod ratione legum, peccatorum magna sit inæqualitas: turpiusq;
mc.

meritò censetur, majorique odio dignius, quo
divina, quam quo humana lex migratur: & ex
divinis legibus eas violare, quæ ad omnes homi-
nes pertinent, majus meritò netas habetur, quam
quæ Hebræis tantum sunt observandæ.

(q) lib. I. de Jure Nat. & Gent. Cap. VIII. §. 1.

§. XIV. Facere utique ad nostram cau-
sam videtur, quod in Proverbiorum libro (q)
dicitur: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septem
sunt abominationi animæ ejus.* Hoc quidem
nonnulli perinde esse autumant ac si dixerit sa-
cer Spiritus, sex priora vitia longè minus turpia
esse, quam septimum, videlicet susurrationem.
Indeque Cornelius à Lapide (r) eousque addu-
ctus est, ut contendat, susurrationem longè ab-
ominabilius vitium esse ipso homicidio. De
hoc enim ceterisque vitiis tantummodo dicitur:
יהור שנת יהור *odit Dominus*, ast de susurratione ad-
ditur: תועבת הועבר נפשו *Abominatio animo ejus.* En
discrimen luculentum! Ast fallitur. Etenim
abominationis vox, non ad septimum saltem
est restringenda, sed æquè pertinet ad priora sex,
velut *odium*, quod ad ultimum *abominabile*,
quoque spectat. Neque verò dicitur: שבעי *se-*
ptimum, sed voce cardinali שבע *septem*. Idque
B 3 pror-

prorsus ex lingvæ Hebrææ indole, ut Samuel Bochartus (s) demonstravit. Sensusq; adeo est: *Sex sunt quæ odit Dominus, imò septem sunt abominationi animæ ejus.* Innuit quippe, septem hæc vitia adeò turpia esse, ut parum sit DEUM odio ea prosequi: quin abominatur illa. Et ita sanè quod asserui, haud contemnendum inde accipit robur, manifestumq;, inter *odium & abominationem*, discrimen redditur. Hæc autem crimina dum præcipuè execrari Numen dicitur, non quidem idololatria, blasphemia, aliaque scelera, ceu minus gravia hinc eximuntur: sed inter illa, quæ officia hominis erga proximum maximè intervertant, hæc demum præcipuè odio, quin abominatione digna esse, sacer Spiritus pronuntiat,

(q) *Cap. VI. 16.* (r) *in Comment. in h. l.* (s) *T. II. Hierozoic. fol. 800. add. Delrio T. II. Adag. 267.*

§. XV. Progredi nunc ad singula juvabit, seduloque dispicere, quænam demum crimina, vehemens adeò Numinis provocent odium, ut illi abominabilia videantur. Hic verò idololatria primum sese omnibus offert. Neq; enim ullum crimen sæpius hæc formulâ insignitur. Evenit inde adeò ut ipsa idola *abomi-*
mi-

minationum titulo per eminentiam quandam
 veniant. Namq; & Milcom Ammonitarum
 idolum vocatur: תועבר בני עמון *Abominatio*
filiorum Ammon: ceterarumq; gentium idola
 מוקדו appellitantur. *II. Reg XXIII 13.* Rem
 susciperem infiniti laboris si ingentem conve-
 ctare molem, & Scripturæ congerere documen-
 ta vellem, quæ idolorum cultum hâc ipsâ voce
 exhibent. Adire omnibus hocce fontes licet; mi-
 hi viam monstrasse sufficit. Conferantur itaque:
Deut. VII, 25, 26. XII, 31. XIII, 14. XVII, 4. XVIII, 12.
XX, 18. XXVII, 15. XXXII, 16, 17. I. Reg. XXI 26.
II. Reg. XVI, 3. XXI, 2. II. Chron. XXIV, 33.
XXVIII, 3. XXXIII, 2. XXXVI, 8, 14. Esræ IX, 14.
Esaï. XLIV, 19. Jerem. II, 7. XVI, 18. XXXII, 34. XLIV,
4, 22. Ezechielis V, 9, 11. VI, 9. VII, 3, 4, 8, 9, 20. VIII, 6,
9, 13, 15. IX, 4. XI, 18, 21. XIV, 6. XVI, 2, 18, 22, 36, 43,
46, 51, 58. XVIII, 12. XX, 4. XXII, 2. XXIII, 36. XXXVI,
31. XLIII, 8.

§ XVI Quemadmodum itaq; inter of-
 ficia hominis, primum facilè tenent locum, quæ
 DEO sunt præstanda: ita profectò inter omnia
 crimina nullum abominabilius est, quam quo
 leges quibus hæc officia præcipiuntur, violan-
 tur. Intellexerunt hoc probe Hebræorum Ma-
 gi-

gistri, (t) indeque defœcatam Majorum de Numine, eamque divinitus acceptam disciplinam tradituri, id quod de idolorum cultu fugiendo præceptum atque sancitum est, ceterorum fundamentum primarium faciunt.

(t) Hinc non semel pronuntiant : מצורו עו כננה : *Præceptum de cultu extraneo est instar præceptorum cunctorum, ita, הוּא עיקר כל המצוות כולן* Fundamentum est, quo cetera inniuntur præcepta universa. Disertè Maimonides ; כל המורה בעו כופר בכל התורה כולה ובכל הנביאים *Quicumq; Cultum extraneum exhibendum esse professus fuerit, certè is renuntiat Legi universæ, & universis Prophetis. &c. In Hal. Abhodah Sarah Cap. II, add. Gemara Babylonica cit. Nidarim, c. III, fol. 25.*

§. XVII. Morali vero legi, & in specie Juris Naturali repugnare idololatriam, palam est. Ecquis enim est, qui DEI notionem audiens, non statim infinitæ virtutis, perfectionis, ac majestatis, essentiam concipiat, & quis verò credet, fieri posse, ut, qui infinitæ perfectionis est, sui similem habeat? Sane aut superabit alteruter alterum, qui hoc modo inferior erit, & sic Augusto DEI nomine non comprehendetur: aut uterque eodem indignus erit, si eadem eos gaudere majestate contendas. (u) Hunc ergo unice colendum, eadem ratio dicitur.

(u) Pau-

(u) Paulò aliter rationes subducit Athenagoras, ut evincat, ex ratione constare, unum saltem esse DEUM, in *Legat. pro Christianis* p. m. 66.

§. XVIII. Neq; verò hoc rationis dictamen obfuscare aut longa dies, aut obfusà quasi caligine, vel infernalis genii, vel prava hominum indoles delere potuit, ut non subinde splendidissimi emicuerint & effulserint radii, (x) luculentissimo profecto documento, nihil magis à naturâ hominis alienum esse, quam aut plures Deos colere, aut sibi ipsi fingere atq; formare Numen,

(x) Sapientissimis mortalium semper persuasum fuit, unum esse Deum. De Socrate vid. Justinus Martyr. in *Apolog. I.* De Platone testatur Porphyrius apud Cyrillum *lib. I. contra Julianum.* add: ipse Plato in *Timeo*, atq; *Parmenide.* Jamblichus *de Myst. Sect. I. c. V.* Antisthenem Cynicorum Principem Sallustius de *Diis & Mundo cap. V.* dixisse refert, populares Deos multos esse, naturalem unum. De Stoicis legatur Lipsius *lib. I. Physiolog. Stoic. Dissert. IX.* Quam verò fabularis historia exhibet multiplicem Deorum turbam, unum eundemque esse DEUM, pro variis effectis varia nomina sortitum, ipsis quoq; Ethnicis observatum est. Legatur Plutarchus de *Iside & Osiride.* Macrobius *Saturnal. lib. I. c. XVII.* Jubaenus *Orat. in Solem.* Augustinus *lib. IV. de Civ. DEI c. XI.* add. Huetius in *Dem. Evang. Prop. IV. p. 122.* Quin apud Ægyptios quoq; mortalium superstitionisimos, Thebaidos incolæ unum crediderunt DEUM $\kappa\eta\nu\eta\phi$, dictum, teste Plutarcho *l. c.* & Strabone *lib. XVII.* vid. Athanasius Kircherus in *Prodrom. Copt. Cap. V. & VI.*

C

§. XIX.

§. XIX. Nec obstat, quod Hugo Grotius (y) asserit, hasce notiones: *DEos plures uno non esse; nihil eorum quæ videmus DEUM esse*, non æquè evidentes esse, ac illam de Numinis existentiâ notitiam. Sanè connatam istam insitamque mortalium cordibus, de DEI existentiâ notitiam, evidentio-rem esse haud abnuo: sed quam per causarum effectuumque dijudicationem acquirimus, cum illâ de Unitate DEI, pari evidenriæ gradu ambulare, arbitror. Quicquid demum sit, sufficit hanc notionem ita evidentem esse, ut ab omnibus cognosci queat, unum saltem esse DEUM.

(y) *lib. II. de Jure B. ac P. c. XX. §. XLVII.*

§. XX. Perperam quoq; ab eodem Hugone Grotio, ad emolliendum idololatriæ crimen asseritur, quod in gente Hebræâ non semper morte fuerit punitum, quin tum demum idolorum cultores capitalem subiisse poenam, *si facta, ut loquitur, circumstantiam habuerint singularem.* Exempla enim, quibus suam sententiam firmat, ut observavit B. Zieglerus, (z) non sunt exclusiva, neque restrictiva, quod in his & non aliis defectibus, mortis poena locum habere nequeat. Certè lapidationis poenam idolo-
la-

latriæ in genere decernit lex divina, quam & illi subire jubentur, qui sidera colunt, in quos tamen mitiorem sententiam pronuntiaverat Grotius. Hebræorum quoq; Magistri (a) testantur, idolorum cultores, mortis supplicio olim affectos fuisse.

(z) *In Hug. Grot. l. cit.* (a) Hebræos pariter ac Noachidas, ob idololatriam capitali afficiebant supplicio. Ita in Tract. Sanhedrin. c. VII. docent. Maimonides rem omnem brevibus complectitur: כל עו" שבורה רין של ממיתין עליוה בן נח נהרג עליוה *Ubicunque ultimo supplicio punitur in foro Israelitico cultus extraneus, ibi Noachides ob similem cultum gladio plectendus erat. Israelita autem semper ultimo afficiebatur supplicio, si palam DEUM alienum invocasset. vid. Maim. in Abhodah Sarah c. III. & IV. it. Mischnah Cod. Sanhedrin. c. VII. Johannes Seldenus lib. VII. de J. N. & G. juxta disciplinam Hebr. c. VI. p. 856.*

§. XXI. Idolorum cultoribus Magos quoque accensent Hebræorum Magistri. Mirum itaque non est, quod de horum artibus Moses (b) pronuntiet, *eas abominationi esse Domino.* Illos verò (c) præcipuè intelligo, quibus cum infernali genio commercia intercedunt; adeoque seductori spiritui honorem, quem solum sibi vendicat Numen, deferunt. In ceteros nefandi sceleris architectos mitiorem sententiam

pronuntiat Maimonides : (d) sed meritò ab eo dissentit Isaacus Abarbanel , (c) qui omnes illicitæ Magiæ species , ad idolorum pertinere cultum, haud obscurè innuit.

(b) *Deut. XVIII. 12.* (c) Enimverò ea Magiæ species , quam Theurgiam Græci vocant, quamq; à γοητεία discernunt, huc planè non spectat. Erat enim arcanae saltem scientiæ disciplina, teste Platone in *Alcibiade*. Platonem eam didicisse Plinius auctor est. lib. XXX. c. I: Tuentur eandem Apulejus *Apol. I.* Dio Chrysostomus *Orat. 36.* & Porphyrius *de abstin. ab esu animal. lib. IV.* (d) Dantur enim rursus illicitæ Magiæ, sive γοητείας variæ species. Præcipua est quæ expresso federe Dæmonē cum homine jungit, & hanc intelligit Maimonides, pronuntians: כל מכשף הוא עובר עון בלתי טעם *Quilibet Magus citra dubium est Idololatra, in Moreh Nebochim. part. III. c. 37.* (e) Septimum enim inter idolorum cultores locum illis tribuit: אשר היו עושים לעצמותיהם למתים או לעצמותיהם *qui colebant mortuos aut ossa eorum.* In hunc ordinem Pythones Ariolosque disertè redigit. Rursus nonum locum occupant: האנשים השופטים כפי הרברים הנופלים במקרה: *Illi, qui judicant ex rebus, quæ per accidens eveniunt.* Hæc est illa magiæ species, quam Hebræi נירוש appellitant. vid. *Commentarius Abarbanelis ad II. Reg. XVII. 7. seqq.*

§. XXII. Inter omnes autem idololatriæ modos speciesque, eam maximè execratur sanctissimum Numen, quâ Antichristus, honorem cultumque, soli DEO proprium, sibi vendicavit. Idque, ut nonnulli putant, per abominationem de-

desolationis à Daniele innuitur. Abominatio-
nis voce igitur idolorum cultus designabitur:
ob latisimam verò stragem, quam veritatis &
sanctitatis regno intulit Antichristus, additur:
desolationis. Sunt tamen, qui ad Romanarum
Legionum signa, hæc referunt, in quibus DEO-
rum pariter ac Imperatorum (f) imagines con-
spiciebantur, quas adorare & divino venerari
cultu moris erat.

(f) de hisce DEorum imaginibus, quibus signa militaria
exornarunt Romani vid. Lipsius de Re Militari Roma-
nor. lib. IV. p. 260. De Drusi imagine Tacitum legisse ne-
minem pœnitent lib. II. *Annal.* De Sejani Suetonius: *Mu-
nera Syriacis Legionibus dedit, quod sola nullam Sejani ima-
ginem inter signa coluissent. in Tiber. c. 48.* Adoratas quo-
que fuisse hæc imagines idem Suetonius testatur: *Ar-
cabanus transgressus Euphratem aquilas & signa Romana, Cæ-
sarumque imagines adoravit. In Caligulâ c. 48.* Hanc Prin-
cipum venerationem, quæ aut illis, aut illorum imagi-
nibus deferebatur, inter præcipuas idololatriæ species
refert. R. Isaac Abarbanel l. c.

§. XXIII. De nefandis quibusdam impu-
risque commixtionibus, nunc mihi dicendum
est, de quibus in specie, (d) quod sibi abomi-
nationi sint, Numen proficitur. Huc præci-
puè Pæderastia pertinet, siue concubitus cum
masculis; quem cum ipse divus Paulus *παρὰ φύσιν*
(h) esse pronuntiet, haud difficulter in eam quis

induci sententiam posset, cum lege naturali vel maximè eum pugnare. Quicquid hujus sit, legi divinæ positivæ universali hunc concumbendi modum adversum esse, extra litem est. Non alio autem magis quam inexpiabili hoc scelere irritari Numen, Sodomitica gens, (t) tristi exemplo, seros quoque nepotes & ultima docebit secula.

(g) *Levit. XVIII. 22. XX. 13.* (h) *Rom. I. 26. 27.* Hebræi Doctores inter crimina quæ Ecclipsin soli inducant Pæderastiam quoque referunt. vid. R. Sal. Ephraim Aaronides in *Ir Gibborim fol. 98.* (i) Sodomitas enim detestandi sceleris inventores esse præter alios, Muhammedani credunt. Lo hum Sodomitas increpasse in Alcorano memoratur, scelerisque hujus incussasse, & tandem adjecisse, *non precesit Vos in eo quisquam e seculis. Surat. VII.* vid. Guilielmus Postellus *de Orbis Concordiâ p. 179.*

§. XXIV. Fateor, nullum crimen facile frequentius apud Ethnicos fuit, nefando hoc concubitu. Quin Philosophorum præstantissimis, & cum primis Stoicæ sectæ Principibus, Zenoni, Chrylippo, Cleanthi, masculam Venerem probatam fuisse, Sextus Empiricus (k) autumat. Sed gentium mores, aut Virorum præstantium auctoritas & sententia, cum ne quidem naturale semper jus indicent, multo minus evincent, tale quid à Deo lege positivâ, humano
ge-

generi non fuisse interdictum. Non tamen & inter Ethnicos defuerunt, qui foedum ejusmodi scelus fuerunt detestati. (l)

(k) *lib. III. Pyrrhoniar. Hypothes. c. 24. add. Josephus lib. II. advers. Appionem.* (l) Cajo Cornelius fortissimus ceteroquin VIR, à Cajo Fescennio Triumviro hoc nomine accusatus est, nec Tribunorum auctoritate à mortis supplicio potuit liberari. In homines, qui effrenatis hisce cupiditatibus habenas laxant, impunè ferrum stringi, Clofi exemplo comprobarunt Romani, ipso Mario adeò non agrè hoc ferente, ut jure casum pronuntiaret. Vid. Valerius Maximus *lib. VI. cap. 1.* Petrus Ærodius *lib. II. Decretor. tit. 46.* add. Henricus Salmuth. in Gvidonem Pancirollum *de Reb. Memorab. & Deperd. ad Tit. XLVII. p. 222.*

§. XXV. De adulterio itidem in specie pronuntiat DEUS, quod sibi abominationi sit, apud Ezechielem Vatem. (m) Et vero positivâ lege universali sancitum esse, ut matrimonii fides sancta sit & inviolabilis, satis constat. Suffragatur huic in tantum Lex naturæ, in quantum matrimonium eâ conditione initum fuit, ne per dies vitæ alterutri conjugi liceat corporis copiam alii facere. Tum si secus se gesserit, sanctissimum naturæ, de fide servandâ decretum violavit. Et inde criminis hujus foeditas elucescit; quam & hinc colligunt Hebræi Doctores, (n) quod DEUS idololatriam non aliâ sæpius, quam adul-
te.

terii imagine sistat : cui addunt, quod pœna ad-
ulterii in gente suâ, semper fuerit capitalis. (o)

(m) *Cap. XXXIII. 26. 27,* (n) vid. R. Salomoh Ephraim
Aaronides *in Keli Jakar fol. 107.* qui insuper, quicquid de
fœminarum, quæ adulterii suspicionem subierant, fide
explorandâ, divinitus traditur, de idoloru cultu inter-
pretatur. Ast futile prorsus est, quod addit, utrumque
de non colendo alieno Deo, & matrimonii fide non
violandâ præceptam, vel ideo pari, quod ajunt, ambula-
re passu, quia in Mosaicis tabulis è regione posita, unâ
quasi lineâ comprehendantur. Sed ad exaggerandam
adulterii fœditatem spectat, quod ejusdem gentis Do-
ctores putant, per adulterium totam legem moralem vio-
lari. Idque exinde probant, quia mulier adulterii suspe-
cta decimam Ephæ partem, Deo offerre jubeatur. Hu-
jus enim rei ratio redditur in Rabboth: **לפי שעברתי**
על כל מצוות דבריהם quia adultera uxor contra totum Decalo-
gum peccavit. *fol. 229, seq.* Eadem traduntur in Tanchumâ
fol. 73. add. Aben Schuib. *in Concion. super Legem. fol. 63.*
col. 1. Isaacus Karo *fol. 80.* Huc quoque referunt illud Sa-
lomonis: *Invenio ego amarius quid ipsâ morte, mulierem vi-*
delicet, que est decipula & rete. Ecclesiast. c. VII. 27. Alias ra-
tiones ad fœditatem adulterii demonstrandam excogita-
runt R. Abraham Seba, *in Zeror. Hammor. fol. 108.* Samuel
Laniado *in Keli Chembda fol. 175.* Isaac Abarbanel *Com-*
ment. in Legem fol. 208. col. 2. (o) In eo omnes conveni-
unt pœnam adulterii fuisse capitalem, Saltem de suppli-
cii genere inter se disceptant. vid. Coccejus *ad Sanhe-*
drin c. X. p. 79. Sixtinus Amama *in Antibarb. lib. III. p. 610.*
Philo, non tantum Hebræis, sed aliis quoque gentibus
in more positum fuisse, morte multare adulterium, autu-
mat. In quo eundem falli, eruditè demonstravit, Joh.
Seldenus *de Uxore Ebraica lib. III. c. XII. p. 277.*

§. XXVI,

§. XXVI. Observatum quoque ejusdem gentis Doctoribus (p) est, quod in sacris literis vox חָחָח *corruptela*, quando ad malas actiones transfertur, de nullo alio crimine, quam de idololatriâ & impuris, maximeque nefandis quibusdam commixtionibus adhibeatur. Et hæc fuisse crimina, quæ mundo priori diluvium perniciemque universalem attraxerunt, hoc præcipue freti argumento, contendunt, quod eadem voce Moyses antediluvianum mundi scelera exprimat. Quin hinc causam arcessunt, cur de nullo alio scelere, quam de idololatria & impuris quibusdam commixtionibus, sæpius dicatur, quod sit abominationi Domino. Istud extra dubium est, idololatriam ac adulterium non tantum ideo abominabilia dici, quia lex moralis per ea violatur, sed ratione objecti illorum foeditatem haud leviter augeri. Quemadmodum enim idololatra DEUM immediate, ita adulter & DEUM & homines multiplici ratione lædit,

(p) vid. R. Ismael ad Genes. VI. 12.

§. XXVII. De ceteris peccatis, quibus lex moralis migratur, cum raro admodum hæc detestandi formula legatur, cuncta unico complectar fasce. Et; populi quidem Israelitici scelera, inter quæ tamen idololatria eminebat, ex-

D

cra-

cratur Numen Psalm. CVI. 40. Esai. VIII. 12. XIV.
20. XLI. 24. XLIX. 7. Jerem. VI. 15. VII. 10. Ezech.
VI. 11. XVI. 50. 52. De quibusuis hominibus im-
piis ac prævaricatoribus usurpatur Psalm. XIV. 1.
LIII. 2. Proverb. III. 32. XI. 20. XV. 9. Ezechiel. XII.
16. XVIII. 24. XXXIII. 29. Job. XV. 16. De pecca-
tis Gentilium, inter quæ rursus idololatria pri-
mum tenebat locum I. Reg. XIV. 24. de menda-
ciis Psalm CIX. 163. Proverb. XII. 22. Psalm. V. 7.
De injustitiâ in ponderibus & mensuris Deut.
XXV. 16. Proverb. XI. 1. XX. 10. 23. de impiorum
consiliis pravis Proverb. XV. 26. De iudice ini-
quo improbum absolvente & condemnante in-
nocentem Proverb. XVII. 15 add. & Proverb.
XVI. 5.

§. XXVIII. Jam colligere poteram pro-
priam ac genuinam formulæ hujus vim esse, ut
vitia, quibus morales violantur leges, designet.
Certè frequentissimum ejus, de huiusce sceleribus
usum hoc evincere. Si quæ in contrarium ad-
duci possent exempla, pauca admodum esse, nec
vim voci propriam infringere. Saltem tamdiu
eam significandi rationem obtinere, quam diu
evidentissimè demonstratum minime esset, hoc
cri.

crimine, cui additur, non alias quam quæ Israeli-
ticam saltē obstringunt gentem, migrari leges.

§. XXIX. Juvabit tamen & ista, quæ in
contrarium afferri possunt, expendere accurati-
us. Præcipuum istud est, quod de immundis
animalibus non edendis, quandoque dicatur :
לֹא תֹאכַל שֶׁקֶץ הָאֵרֶץ, vel ut alibi Moses (r) dicit: לֹא תֹאכַל
כָּל תּוֹעֵבָה *ne edas omnem abominationem*. Mul-
ta profectò obstant, quo minus diserte quis asse-
rere queat, non *morale* quid, in hâc latitare lege.
Enimverò qui levi de causâ animalia quædam
vetita fuisse arbitrantur næ ! isti rem illam pa-
rum exploratam habent, nec ita ut par est, de sa-
pientiâ Legislatoris sentiunt. Quis vero credat,
ad Ægyptiorum imitationem (s) hoc facere de-
buisse Israelitas. Non imitari, sed execrari ho-
rum mores, hoc demum Israelitas decebat. Sic
& falluntur plane qui hâc lege aut sanitati (t)
gentis Hebrææ consuluisse DEUM, aut ejus explo-
rare obsequium (u) voluisse, simulque com-
monefecisse, ut sobriè viverent, mentemque ab
omni impuritate ac seculi labe illibatam serva-
rent, contendunt. Sanctitati enim, non sanita-
ti gentis hujus hâc lege se prospexisse, ipse DEUS
fatetur ; ad obsequium explorandum, jam suf-

ficiebant reliquæ; sobrietatem ceterasque virtutes, docebat Decalogus. Mentem verò qui certo ciborum genere commaculari putant, parum à stultitiâ absunt. Deniq; accommodari quidem hæc lex ad sanctiora quædam doctrinæ cœlestis revelatæ capita (x) potest, præsertim ad istud, quod inter Gentiles atq; Judæos intercedit, discrimen: sed hanc legis istius fuisse causam, nondum hoc ipso evincitur. Gravem itaq; atque prægnantem, aut nobis imperscrutabilem esserationem, cur DEUS hanc legem sanciverit, contendo. (y) Simul vero definiri firmiter posse nego, num ad solos judæos, an verò & alias gentes, legis hujus referri causa possit.

(q) *Levit. XI. 10. & alibi.* (r) *Deut. XIV. 3.* (s) Sic Marshamus opinatur in *Can. Chron. Sec. IX. p. 213.* Huic adstipulatur Spencerus, quem in peculiari Epistolâ refutavit Wächtlerus. (t) Ita existimat R. Moses bar Nachman *ad Lev. XI. 13.* sed refutatur ab Abarbanele in *Deuter. fol. 213.* & Aramâ *ad Levit. XI.* (u) v. R. Bechai *ad Lev. XI.* (x) v. Eusebius *lib. VIII. Preparat. Evangel.* aliique ex Theologis tum veteribus, tum recentioribus. (y) Facit haud obscure mecum, prudentissimus Hebræus Salomoh Jarchius, qui nefas esse autumat, in rationem legis hujus inquirere, cum nemo eam invenire possit: אין לך לחקור רק להסתור ולומר גזרין מלך Non est Tibi (in causas ejusmodi legum) inquirendum, sed taceas & dicas: est decretum Regis, cujus nulla datur investigatio. In *Commentar. ad Proverb. XXV. 2.*

§. XXX.

§. XXX. Sed & legis hujus sanctitatem ipse inculcat DEUS: (z) *Quia ego Dominus DEUS vester, & sanctificabitis vos, & eritis sancti, quia sanctus ego sum & ne contamine- tis animam vestram omni reptili &c.* haud obscuro quidem documento, profundius quid & sublimius hâc lege occultari, quam primâ præ se fert fronte.

(z) *Levit. XI. 44. 45.*

§. XXXI. Non verò solis Hebræis datam hanc legem inde quis colligere posset, quia & ante Moïsi tempora Patribus sanctissimis religiose fuit observata. Certè ad Noachum de animalium, ratione munditiei diversitate, ceu de re pervulgatæ notitiæ DEUS loquitur. (a) Accedit, quod gentibus antiquissimis in more quoque positum fuerit, immundorum animalium esu abstinere. (b) Hæc à Progenitoribus suis, qui ab illis quibus fortè hanc legem DEUS dedit, hoc acceperunt, discrimen istud edoctas fuisse quis dubitabit? Hæc ergò me adducunt ut credam, sub lege istâ morale quid latere, quo DEUS gentes omnes olim obligari voluit: quod luculentius designari posset, si causa legis nobis innotesceret.

D 3

(a) Ge-

(a) *Genes. VII. 2.* (b) v. Philo *de Legat. ad Cajum fol. 805. Op. Aben Esra ad Exod. VIII. 22.* Cum primis verò Samuel Bochartus *in Hierozoico part. I. lib. II. fol. 314.* In specie Indorum Brachmanes, ac Sabæi, hunc morem observarunt; Pythagoras autem sine dubio aut ab Ægyptiis aut Hebræis illum accepit, vid. Gvilielmus Saldenus *Ot. Theolog. lib. IV. Exercitat. II. §. II. add. Seneca Epist. CVIII. pag. 534.*

§. XXXII. Cur autem repudiata Uxor, postquam alteri nupsit, à Viro priori iterum ducta, Numini abominationi esse dicatur, (c) intellectu haud adeo est difficile. Neque enim prorsus interdictum est marito, ducere à se repudiatam, (d) sed tum demum, si alteri nupsit; (c) quod dum secus accipit Hugo Grotius, oppidò fallitur. Nubere enim priori iterum, nisi violatâ posterioris matrimonii lege, non potest, quod utiq; non tantum cum divinis præceptis, sed & cum eâ naturæ lege, quæ pacta servanda docet, pugnat. (f)

(c) *Devt. XXIV. 4.* (d) Maimonides Mosis decretum repetens, minimè repudiatam priori Marito nubere potuisse docet: *אחר אשר הוטמנה* postquam polluta facta est. Quod si vero nondum alteri nupsit, non solum licere, ut priori nubat, sed etiam conveniens esse autumat: *וְגַם רָחֵוּ לַעֲשׂוֹרָהּ* quin & sic decet facere *in Hilcoth Ischoth. Cap. XI. §. 12, 13.* (e) Putat enim, quod prorsus non, licet etiam alteri nondum nupsit, duci à Marito potuerit repudiata: *Sic & dimittere, inquit, uxorem volenti modus præscribitur, nec dimissam ducere quisquam*
im-

*impeditur, præter eum qui dimisit, & Sacerdotem. lib. II. de
Jure B. & P. c. V. §. 9. (f) Aliam quidem rationem, cur
repudiatam, quæ alteri nupsit, non licuerit priori ma-
rito ducere, affert Abarbanel. Ægyptiis enim solenne
fuisse dicit, ut Uxores sæpius permutarent, uxorque iam
alteri nupta, ad priorem rediret maritum. Huic con-
suetudini obviam ite legem divinam, in Commentar. ad
Deut. XXIV. 4. Sic & Isaacus Arama: שנים לא כן הורה
עקר סחורות האנשים הפחותים בחלופי
מטותיהם ותמלגה הארץ זמרה. *Quod si hoc non pro-
hibitum esset, tum porta aperta esset hominibus levibus ad ne-
gotiationem exercendam cum uxoribus suis & permutandum
eas, & sic repletur terra scortatione. Sed hisce non
opus est ambagibus. Vid. Arama in Deut. XXIV. 4.**

§. XXXIII. Et ita quoque sese res habet in
aliis. In sacrificiis pecora labis omnis ac vitii
expertia, offerri sibi volebat Numen. Secus
qui faciebat, illi erat abominationi. (g) Ritè
enim qui colere DEUM volunt, fraudes omnes
ac simulationem ut procul faceflere jubeant, ne-
cesse est. Id verò & ratio dicitur. Hæc purâ
mente DEUM venerari jubet. Secus qui se ge-
rit, DEUM se fallere posse credit, seq; illum quem
adorat, ne pro DEO quidem habere ipso facto
profitetur. Quis verò credat, hunc pura men-
te atque sincerè DEUM colere, qui quod homi-
nibus sordet, id DEO dignum esse arbitratur, qui
ut avaritiæ, suisque interserviat cupiditatibus, pa-
lam illudere DEO non dubitat. (h) Quemad-
mo-

modum igitur impiorum sacrificia utut præstantissima, placare DEUM non poterant: ita, non tam vitio commaculata pecora, quam, quas significabant, impuræ atq; ingratae mentes, ad iram illum provocabant.

(g) *Deut. XVII. 1.* (h) Et hæc quoque ratio ipsos Gentiles docuit, quod, si DEUS sacrificiis esset colendus, hæc deberent esse immaculata, talia videlicet, quæ ingenuum gratumq; offerentis animum indicarent. De Ægyptiis legi poterit Chæremon apud Porphyrium *lib. IV. de Abstin. ab esu animal.* Nec Romanis aliter privatum fuisse, ex hisce Virgilio patet;

*Quatuor eximias præstanti corpore tauros,
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.*

lib. IV. Georg. add. Hieronymus Magius *lib. IV. Miscellaneor. Cap. IV.* Hinc vergente ad interitum Ethnicorum religione, morbidis mutilisque animalibus placabant DEOS, quod illis exprobrat Tertullianus *in Apologet. Cap. XIII.* seque adeo à majorum delivisse moribus hoc ipso significabant. vid. Auctor *Observat. in Natal. Comitum Tit. Sacrificia.* Nullus ergo dubito quin in errore versentur. Hebræorum Doctores, qui nisi Moses lege quâdam hoc sancivisset, perinde esse autumant, quæ animalia sana an morbida, DEO quis offerre velit. in Gemarâ ad *Tit. Sebachim fol. 115.* Vim quidem præcepti haud capiunt. Fraudes & hypocrisin detestatur Numen, dum imperfecta animalia recusat. Hæc vitia ergo cum ejusmodi sacrificiis occultentur, nunquam non eadem DEO fuisse abominationi, certum est.

§. XXXIV. Nimirum sacrificiis DEUM colere, lege quidem positivâ sed non naturali est.

præceptum est. (i) Multa tamen in illorum oblatione occurrebant, quæ etiam illa colendi DEUM ratio, quam natura homines docet, ab omnibus exigit. Quocunque enim modo, sive per preces sive per sacrificia, suum quis erga DEUM obsequium testetur, semper ut ab animo probo ac integro, siquidem DEI sibi quis favorem pollicetur, hæc proficiscantur necesse est. (k) Ita vero cum impiorum sacrificia minimè comparata sint, mirum non est, quod non semel, hæc sibi abominabilia esse, DEUS profiteatur. (l)

(i) De sententiâ Doctorum gentis Hebrææ vid. Seldenus *lib. II. de J. N. & G. juxta disciplin. Hebræor.* Gregorius de Valentia *lib. I. de Missâ c. XX.* & ipse quoque Hugo Grotius *ad Genes. IV. 3. & Exod. XV. 26.* à naturæ quodam instinctu, hunc modum colendi DEUM derivant. Id quoque rationibus probare annititur Paulus Burgensis Episcopus *in Scrutinio Scripturam: part. II. Distinct. I II, c. XI.* Sed rectius Eusebius, κατὰ θεῶν τὴν ἐπινοίαν, vel potius ex DEI præcepto sacrificia orta esse judicat. *lib. I. Demonstrat. Evangel. c. X.* Idque omnino ita se habere Caini & Abelis sacrificia, sine dubio ex Numinis præscripto oblata, comprobant, Noachi quoque exemplum testatur. Vid. hæc de re Peucerus *de Divinat. fol. 137.* Stuckius *de Sacris & Sacrificiis Gentilium p. 10.* Andreas Rivetus *Exercit. 42. in Genes.* Jacobus Bolducius *de Ecclesia ante Legem lib. I. Cap. 2.* Johannes Cloppenbergius *in Scholâ Sacrificiorum Patriarchalium p. 116.* (k) Hinc Persius *Sat. II.* & Horatius *lib. III. Carm. Ode 23.* impuris hominibus nequicquam prodesse sacrificia disertè pronuntiant. Plato *in Alcibiade;* & Pythagoras apud Philostratum *de vitâ Apollonii Thyanaei*
E lib. I.

lib. I. eadem docent: (l) Proverbior. XXI. 27. it. Esaj. I. 13. ubi de suffitu impiorum dicit DEUS: תועברו הוה לי Abominatio mihi est. conf. & Proverb. XXVIII. 9.

§. XXXV. Vestimenta utrique sexui propria permutare, cunctis hominibus merito turpe habetur. Equidem in se spectata hæc permutatio nihil vitii secum trahit. Laudatur à sanioribus Euclides Megaricus, quod veste muliebri usus sit, ut sine periculo docentem audiret Socratem. (m) Ast nefandis sceleribus, præsertim impuris commixtionibus talis permutatio vestium non raro occasionem præbet. (n) Hanc non solum Hebræi, sed & omnes evitare tenentur homines. Secus qui faciunt, dum turpissimis criminibus fenestram aperiunt, jure contra easdem leges, quibus hæc vitia prohibentur, peccasse censentur, adeoque sunt abominationi Domino. Accedit quod cum vestibus, non raro mores mutant,

(m) vid. A. Gellius *lib. VI. Noct. Attic. c. X.* (n) Sanè & Ethnicorum sapientioribus fuit improbata. Taceo Ulpianum Jureconsultum. De Caligulâ Imperatore Suetonius, refert, multorum reprehensiones eundem incurrisse, quod muliebri usus sit veste. Ab hæc consuetudine vestes permutandi Ethnicos abhorruisse testantur Patres Concilii Gangrensis. vid. Gratianus *Can. si qua mulier, dist. 30.* De Sulpitio Gallo muliebri habitu utente, pronuntiavit P. Africanus: *Eumne quisquam dubitet, quin idem fecerit quod Cinædi facere solent.* ap. Gellium *lib. VII. c. XII.*

§. XXXVI. Quod denique ab Ezechiele Va-
te

te dicitur, execrari Numen eos qui templum profanarunt: de cultu sacro populi Hebræi (n) mimimè intelligi debet. Quemadmodum enim structura templi ab eodem delineata Ecclesiæ novi federis imaginem luculentam exhibet: Ita profanare templum dicuntur, qui cum sacro cœtui accenseri cupiunt, profanis impurisque moribus, ut ab eodem arceantur, promerentur. Ut autem homines eâ quâ par est animi observantiâ, DEUM colant, quemadmodum se coli velle, revelavit omnesq; docuit, & hunc in finem pravos improbosque, & qui cum hoc cultu pugnant, mores exuant, id quidem à ratione non abhorret. Hæc enim jubet, ut, si DEUS doceat quo pacto coli velit, ita quoque eundem colamus.

(u) Ethnicis quidem in illud templi atrium patebat aditus, quod *למזבח* siue *commune* vel *profanum* vocabatur, vid. præ ceteris Constantinus L' Empereur *ad Tractat. Talmud. Middoth*. Ultra progredi nefas erat. Quod si ad interiora penetrarent, templum profanatum censebatur. conf. Johan. Seldenus *de J. N. & G. juxta discipl. Hebr. p. 300. & 301.* Hanc Hebræorum consuetudinem, ad sacra novi federis, hac loquendi ratione transtulit sanctissimus Vates. *cap. XLIV. 6. 7.*

§. XXXVII. Colligo ex hæctenus allatis, nullum facile proferri posse Scripturæ documentum, quo demonstratur, hanc abominandi formulam, de peccatis adhiberi, quibus leges ad so-

los Hebræos pertinentes, & nihil morale in se continentes, violantur: adeoque hanc ejus vim esse, ut, si cui delicto additur, moralem illo migrari legem, intelligamus, nisi aliis rationibus evidentissime probetur, esse illud saltem contra legem genti Hebrææ propriam.

§. XXXVII. Simul verò patet, quid de sententiâ Johânnis Seldeni, (x) doctissimi Viri, censendum sit, qui emphasin hujus formulæ ita edisserit: *Abominations autem, id est תועבות, quod non nemo Veterum aspernamenta alibi transtulit) vocantur non solum hæc (i. e. quæ juri naturæ adversantur) sed etiam cetera interdicta. Sed hæc, quia nunquam non abominations erant; cetera, quia ex sacro Numinis interdicto, jam nomen istud satis induebant; non aliter ac in legibus de piscibus atque avibus aliquot & reptilibus, à quibus Ebræis abstinendum erat, non semel adjicitur שקץ הויה abominatio est, & in lege de bove & pecore, in quo macula aut vitium, non sacrificando כי תועבה הויה, quia abominatio est. Utrobique abominations nomen, non ex pristina naturâ rei, sed ex sanctissimi Legislatoris, eò interdictorum suorum formulis utentis, placito, induitur.*

(x) lib. V. de J. N. & G. juxta discipl. Ebræor. c. XI. p. 623.

§. XXXIX,

§. XXXIX. Jam porrò infero, cum impuræ commixtiones, & consanguinitatis affinitatisque gradus Levit. XVIII. prohibiti, Numini abominationi esse dicuntur, ex hac ipsâ formulâ intelligitur, hisce criminibus moralem transiliri legem; nisi luculenter probetur, quare hæc loqvendi ratio, vi istâ ac emphasi, quam in ceteris cripturæ locis obtinet, hîc privari debeat. Nullam verò causam esse, ut eo privari debeat, haud difficulter evincitur, præsertim, cum nec alia argumenta desint, quibus probetur, legi morali hæc commixtiones repugnare.

§. XL. In eo plerique conveniunt, quædam hîc recenseri vitia, quibus leges, quarum vis ad omnes æquè homines pertinet, migrantur. Nonnulli Hebræorum Magistri, (y) huc referunt illas commixtiones, quas Noachidis illicitas esse autumant. Hisce verò, cum matre, cum novercâ, cum uxore alienâ, cum sorore uterinâ, cum masculo, & cum bestiâ consvescere, nefas esse contendunt.

(y) in Gemarâ Babylonica ad Tit. Sanhedrin, Cap. VII, fol. 58. Maimônides Hal. Melachim, c. IX. Idque Hebræi inter alia probant ex Genes. II. 25. Hinc Salomoh Jarchi ad hunc locum: רוח הקדש אומרת כן לאסור על בני נח הערוורר Verbis illis usus est Spiritus S., ut Noachidis interdicerentur concubitus incesti. conf. Seldenus lib. V. de J. N. & G. & c. c. III. Sunt tamen ex ejusdem gentis Doctoribus qui

existimant Noachidis ea incestus genera interdicta esse, quæ in foro Israelitico capitali puniebantur supplicio, ut concubitus cum nuru, cum priuigna &c. præter hætenus commemoratas species.

§. XLI. Sed dum naturæ legibus hæc repugnare commixtionum genera putant, oppidò falluntur. De adulterio & Pæderastiâ, supra dictum est. Nec ratio inveniri facile poterit, quæ probet, concubitus ejusmodi naturali quâdam prohiberi lege. De Parentum ac liberorum conjugii præsertim hoc constat. (z) Quicquid enim de pudore ac reverentiâ, quâ Parentes prosequi liberi debent, dicitur, (a) id quidem docet, fatius esse si matrimoniali non inter se jungantur federe, ast ejusmodi connubiis naturæ violari leges, planè non evincit. Gentium mores aut auctoritates Virorum sapientum cum & ceteroquin nihil evincant, hîc vel ideo probandi vi destituuntur, quia nunquam tot gentes aut Viri sapientes hæc matrimonia damnarunt, ut non plures approbaverint. Et ita quoque de fratrum atque sororum commixtionibus censendum est. (c)

(z) De hisce omnibus vide firmissimas Demonstrationes Excellentissimi Domini Thomasi *lib. III. Jurisprud. Div. Cap. II. De parentum ac liberorum conjugii* Hugo Grotius quoque *lib. II. de J. B. ac Pacis c. V. §. XII.* faterur, nullas se certas ac naturales reperire causas potuisse. Nec sufficit, ut B. Zieglerus *in Comment. ad b. l.* putat, abhorre-
re ab ejusmodi nuptiis naturam humanam. Quod enim
ab-

abhorreat nondum probatum est. (a) Ejusmodi, quæ vulgò afferuntur causæ, non sufficere ipse agnoscit Zieglerus *l.c.* & prolixius probat Dominus Pufendorfus de *J. N. & G. lib. VI. c. I. §. 28. seqq.* & Dominus Thomafius *l.c.* (b) Græcis quidem ac Romanis ejusmodi non probantur concubitus. Connubia filiorum cum novercis eisdem detestatos fuisse Senecæ Hippolytus testatur. De Caracalla novercam ducente Ælius Spartianus *Cap. X.* dixit, *eum celebrasse nuptias quas si sciret leges dare, solus prohibere debuisset.* Aliis contra gentibus non tantum novercarum, sed & matrum cum filiis connubia probabantur. Vid. Seldenus *l.c. lib. V. c. XI. p. 623.* (c) Præterquam verò quod ratio, cur Legi naturæ repugnent, hîc dari nequeat, obstant exempla liberorum Adami. Hinc Judæi ad dispensationem aut tolerantiam, quam ex voce *וְטָרַף* *Levit. XX. 17.* eliciunt, alii ad distinctionem juris naturalis in primævum & secundævum confugiunt. Sed perperam. Gentium autem mores hic quoque secum pugnantes legere licet apud Seldenum *l.c.*

§. XLII. Hocce tamen concubitus, ut & ceteros consanguinitatis, & affinitatis gradus, tum explicitè tum implicitè à Mose (d) prohibitos, legi divinæ positivæ universali repugnare infallibili argumento inde evincitur, quia ob hæc crimina Deus gentiles, in specie Cananæos, (e) punivit. Punire autem non potuisset, nisi præcessisset lex aliqua, quæ cum merè naturalis non sit, restat, ut à Deo data sit, aut ipsis peculiariter, (quod non est verosimile, nec satis ferunt verba) aut humano generi universo. (f)

(d) *Levit. XVIII.* (e) ut patet ex vers. 6. Fallitur enim Johannes Marshamus dum in *Can. Chron. Sec. IX. p. 172.* omnia incestus genera, quæ ad vers. 20. usq; recensentur, Ægyptiorum propria fuisse crimina contendit, indeque

in illorum odium tam severè prohiberi Israelitis; iis vero vitiis, quæ deinceps enumerantur, Cananæos fuisse pollutos. Sed aliud res ipsa docet; omnibusque hisce sceleribus tum Ægyptios, dum Cananæos operatos fuisse, dubitari nequit. (f) vid. Grotius de J. B. & P. lib. II. Cap. V. §. 13.

§. XLIII. Non verò existimandum, populos hosce ideò punitos esse quod unam fortè alteramve harum legum violaverint; id enim disertis Scripturæ S. verbis repugnat, asserentis, quod incolæ terræ Canaan fecerint כל התועבות האלה *omnes hasce abominaciones*, indeque à DEO fuerint puniti. Locutio autem universalis minime, ut Hugo Grotius (f) censet, ad præcipua saltem capita restringi debet, nisi summa ut restringamus nos cogat necessitas. (g) Accedit, quod sanctio prorsus generalis, & magnâ cum emphasi, aliis aliisque verbis sæpius iterata, ejusmodi restrictionem prorsus non admittat.

(f) *lib. II. de J. B. & P. c. V. §. 14.* (g) Certè rationes à Grotio allatæ ad hoc nos non cogunt. Jacobum enim æquè ac Amramum per dispensationem divinam ejusmodi contraxisse matrimonia, palam est. Utique in iis quæ legibus diuinis positivis prohibentur, dispensatio Numinis locum habet. Sunt & qui Amramum contra leges hasce peccasse negant, quod vox Hebræa רותו quamlibet cognationem denotet, quod solide refutavit Joh. Seldenus *l. c. lib. V. c. 9.* Onkelos disertè per אחותו *sororem patris sui*, transfert. Nec reliquæ rationes Grotii magni ponderis sunt. c. Zieglerus *ad Grotii loc. cit. p. 280.*

TANTUM.

01 A 6541

f

ULB Halle 3
 003 090 396




TA → OL

1018
VJ 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



B. V.

ABOMI-

DEO EST,

raçtere

MORALIS

DERICIANA

SIDE

CO BUDDO,

loral. P. P.

br. A. MDC XCIV.

it publice

US Schulz /

alæo March.

Regiminis Eleçt. Brandenb. Typ.

9

